

DE GLANDULARUM; ET NERVORUM
Obſtructionibus, ac nimia acrium ſalium copia.

CONSULTATIO MEDICA

QUA

JOANN. PAULUS FERRARI PARMENSIS PATRICIUS,
Philoſophiæ, & Medicinæ Profeſſor Collegiatus, &c.

SALUTEM QUAMPLURIMAM DICIT

ILLUSTRISSIMO,
Doctiſſimoque Philoſopho, & Medico celeberrimo

D. FRANCISCO BONCUORE

DIGNISSIMO ARCHYATRO
Regiæ Celſitudinis Sereniſſimi Parmæ, Placentiæ,
Caſtri, &c. Ducis CAROLI Primi,
Magni Etruriæ Principis, &c.



ILLUSTRISSIME DOMINE.



PErvagata eſt tandiu ęquiſſima tuæ virtutis fama, ut non ſolùm ad extrema Orbis univerſi eleuſinia, ſed etiam in doctiſſimorum Virorum animos convolaſſe non ſit ambigendum; quamobrem non mirum, ſi in hac dubia morbi gravioris idea prudentiori tuæ mentis conſilio, tamquam

ad Oraculum, minima ingenioli mei hæc Schæda committatur. Equidem in contentione phylosophica, & tam recondita Autopsia Te digniorem, reperire haud erat fidendum, cùm vasta ingenii tui capacitate, doctrinę Orbem amplectaris, ut non tam in rebus phisicis gerendis, quàm in naturæ arcanis indagandis quoscumque præcellas. Tuum, ergo favorabilem animum ad has Litteras converte, ut hęc mea Lucubratiuncula de tuorum dogmatum anastasi congaudeat, & obsequium meum amplitudini Nominis tui semper testetur. Vale igitur Litterarum, & Litteratorum Propugnator eximius, & me obsequentissimum diutius ama, quantum amaris.

Dominationis Tuæ Illustrissimæ

Famulus addictissimus
JOANNES PAULUS FERRARI.



DEO AUSPICE, ET AB EO LUMEN.



Obilis Sacerdos, morum candore, & animi præstantia conspicuus, ætatis annorum sexaginta, temperamenti calidi, & humidi, cum propensione ad melancholiam, structurę mediocris, habitus carnosi, &c. transacto Anno cępit pati rumores aurium cum titinnitu, & capitis gravedinem sentire, & dum ibat, videbatur non posse gressus dare propter metum cadendi, posteà nervorum attractione tam in collo, quàm in capite fuit afflictus, cum aliquali læsione memoriæ, vertigine, & cordis afflictione, adeout nec quiescere, nec stare poterat, sed ambulando sublevari videbatur. Ructus sæpissimè exhalabat, & copiosas emittebat urinas, sed crudas. Acersitis Medicis subivit purgationem, cum sanguinis missione per venas hæmorroydales, & decoctum Salsæparilíæ ad plures dies sumpsit, à quo aliqualiter sublevatum se sensit; modò iisdem ferè gravatur incommodis, cum attractionibus in ipsis partibus, tam colli, quàm capitis, & præcipuè in parte sinistra; quapropter à doctissimis, & peritioribus Apollineæ Artis Cultoribus opem poscit.

Diversimodè de his affectionibus scribunt Doctores, cùm alii caussam illarum determinent pendere à lentore, & sanguinis tardo motu, à quo in omnibus glandulis tantum spirituum non infunditur, quantum sufficiat ad dulcificandum humorem linfaticum, de sui natura acidum, in eisdem glandulis præparatum, unde aucta aciditate, inficiuntur ipsæmet glandulæ, & maximè illæ, quę per lyenem sunt implantatæ, quarum auxilio succus nerveus, & spiritus animales puriores evadunt, &c. sic *Ettmullerus*, & *Vvillisius*, cum eorum asseclis.

Doctissimus *Joannes Jornę in suis novissimis dissertationibus de morbis abstrusis*, vult hos produci affectus à cruditatibus, eo quia cruditates à chylo, ob hujus cum sanguine difficiliorem coitum relictæ, arctiora ejusdem colatoria, & exiles arteriarum meatus obsident, ibique acescunt, quo facto, partes sensiles vellicantur, & materiam, his contractis, sede sua pulsam sanguini commiscent, ejusque compagem solvunt, qua laxata, particulæ sulphureæ expediuntur, & furiosè amant exilire; hinc calorem excitari, fermentationem, & rarefactionem intendi, æstumque cum suis symptomatibus ingravescere, donec facto partium ignearum dispendio, & sulphuris balsamici commercio, oblinitis acidis tumultus sedetur.

Joseph Gallaratus, Auctor sanè perdoctus, à nimia sanguinis salsedine prædicta incomoda derivare putat, quia partes salsæ volatiles tartaro, & sali fixo degenti in venis, & arteriis se se intimius copulant, & per circulationem alchalitantur, & sic massa sanguinea, humorum dulcedine deposita, evadit acida.

Franciscus de Leboe Sylvius, recensita mala provenire scribit ab obstructionibus in hypocondriis ex congerie pravorum humorum, & copia salis fixi, adeout tota vis remedii debeat colimare ad illud fixum exhaltandum, ut pneumatosis necessaria pro sanguinis depuratione renovetur.

Mortonus, *Jungken*, *Gladbacchius*, & *Gayettus*, animalium spirituum attaxiam, si quando sufflaminari contingat, vel subtilem cartistarum materiam, motus libertate privatam, aut inversam fluidorum texturam obstructionum, occasionem cognoscunt.

Hogelandus, & *Regerus* humores quidem, non ut sanguinis constitutivos, sed recrementa dumtaxat, cum iisdem saturari nimis contingat vitio vertunt.

Jacobus Sylvius pręter dictos humores linpham, & bilem, seu acidum, & alcali effervescendo, aut nimis, aut debiliter noxę accusat.

Helmontius, hisce omnibus, seu merè productis, & occasionibus rejectis in sola Archęi indignatione reperit; & *Alphonsus Borellus* succum nerveum in glandulis mesenterii, perperam cribratum, heterogeneis idcircò quisquiliis onustum, pro causa sistit.

Sche-

Schelamerus. cruoris recrementa à ſanguiferorum vaſorum extremitatibus, unde acorem contraxerant venarum in ſinu reſorpta detrimenti cauſam eſſe affirmat.

Erneſtus, Naturę, ſive Animæ energię tantùm tribuit, namlicet Vita, ut optimè ſentit, non in fluidorum nutu, ſed in impellente ipſo perſiſtat, tamen quia in operari, non à conſilio, ſed ab organorum, fluidorumque ſtructura ità dependet, ut iiſdem benè conſtitutis, ut in Cithara conſone ornata, optimè, diſſonè verò, ut in delirio, peſſime incedat; ideò quidquid fluida æque ac ſolida vitiare valuerit, & ſic ut tonicis, quàm excretoriis naturę, vel animę nutibus obſiſtere queat morborum prophaſis jure ſiſtetur.

Alii etiam quamplures Claſſici Auctores de his affectibus tractantes, ſuas proponunt opiniones, à ſuprà recenſitis parum diſſentientes, ſed quia paucis, hoc noſtro ævo, conceſſum eſt *Philoſophicam Palladem* ex proprio cerebro parturire, quia nulla alia Obſtetrix fert opem, præter aſſiduum phyſicæ veritatis ſtudium, à quo obtinetur phyloſophandi utilitas, hocq; tantùm ſcrutinio, non ſolùm è longinquo pompas naturales ſuſcipimus, ſed in ipſiuſmet Naturæ ſacraria admittimur, mirà animi jucunditate, ideò laudabili utar more, quo noſtris hiſce temporibus, liberioris Phyloſophiæ pręſidio, Veterum dogmatibus Neoticorum experimenta copulantur, & Phiſiologia, aliàs inſipida, & verbalibus tantùm diſceptationibus ſcatens, pretioſiori Recentiorum ſupellectile ditata recentetur.

Ut enim unuſquiſque poſſit propriam liberè adducere ſententiam quidquid de hiſce affectionibus ſentiam, æqua lance expendam, ut illa admittatur opinio, quæ magis genium veritatis avidum titilet.

Ritè ergò, & ſeriò examinatis prejudiciis Domini Ægrotantis; mihi videntur duo vitia in hoc eſſe conſideranda; Primum namque à nimia fermentorum aciditate, à qua procedit craſſities totius maſſæ chyloſæ, per quam flatus, & ructus in copia è ventriculo elevantur, quorum pars in hypocondriis ſequeſtrata, cordis afflictionem, & mœrorem, & borboriſmos producit, & exindè urinæ copioſę, & crudæ eiiciuntur. Alterum in diminuta coctione alimentorum, à qua inſurgit magna ſa-

lium

lium acredo, per quam corporis nostri balsamum enervatur, & aliorum symptomatum causę evincuntur; Patet itaque, ex omnium Doctorum consensu, flatus erumpentes à superiori ventriculi orifitio, semper à nitrosis cruditatibus elevari, sic ut impotentiam ad motum itineris potissimum ab obstructionibus nervorum derivare, eo quia, stagnante màteria, in principiis eorum, impeditur delatio serositatis, etiam in cerebri porositatibus, si vera scripserunt famigeratissimi *Thomas Vvillis*, *Pompeius Saccus*, *Marcellus Malpighius*, *Georgius Baglivi*, & alii quamplurimi doctissimi Poliatri, à quibus concluditur, quod sales nimis acres, & cum sero inutili circulantes, cùm à Natura debito modo non expellantur, & in capitis membranis remaneant, impedimentum generare, & gravedinem producere, sic & motum ab aere implantato in caverna aurium titinnitum facere, quod si ab usque dictis evincatur, quod veritatis Portum phylosophicis inductionibus non attigerim, prudentioribus Medicis locum sistam, ut veriorem proferant sententiam, cùm per optimè caleam in rebus physicis Multos ad veritatis Portum aspirare, Paucissimos tamen ad illum pervenire.

Sit ergò conclusio, quod incommoda, à quibus affligitur Dominus Ægrotans, producuntur ab obstructionibus, tam in glandulis cerebri, quàm in principiis nervorum à superflua aciditate, quæ sanguini conjuncta illum incrassat, & quadam coagulatione constringit, quod est proprium acidi fixi, à qua coagulatione in multa parte redditur depressus, & fixus spiritus salsus volatilis, ut non valeat conciliare debitam fluiditatem sanguini, prout fatentur concordes omnes Naturę scrutatores.

Dicamus etiam, quod cùm sanitas, imò vita ipsa, si non primariò, & per se, cùm in movente Archęo, scilicet ipso, vel anima insit, sed secundariò saltem, & subordinatè in regulari, & metrico fluidorum motu consistat, hìc porrò naturali ab eorum textura, vel cum solidis, juxta *Baglivium*, æquilibrio procedat, in motus cessatione reposita est ejusdem noxa; quidquid stagnationes adducet, causa occasionalis morborum sistetur.

A sanguine igitur sic incrassato, non solùm paucitas spirituum perfluit, sed propter crassitiem denegatur etiam eisdem spiritibus

tibus tenuitas, & puritas, quæ pro ſuis muneribus congrua, & neceſſaria erat; adeout ſic irretitus in annexis particulis, ſua tarditate, & conſtrictione non permittat ſpiritibus animalibus libertatem pro recta diſtributione ſuccorum, qui ſemicocti remanent in ventriculo, & inflatus, & ructus elevantur, juxta doctrinam celebratiſſimi *Marcelli Malpighi Præceptoris mei æterna laude digni*, qui harum noxarum Auctores culpavit, ſales mox fixos, & auſteros, mox volatiles, & acres, fluidorum ſiſtaſim invertentes, quare pro eorum correctione, alcalica cujuſcumque generis proponit.

Acidum etiam melancholiæ fixum, quamdam producit in maſſa conſtrictionem, à qua omnis attenuatio neceſſaria difficultatur; unde ſuis particulis terreis irretiti animales ſpiritus impedimentum, & impotentiam acquirunt ad motum, prout docet egregiè eximius *Pompeius Saccus*, perenni encomio coronandus.

A ſero acri, pontico, celtico, & auſtero generari dicta præjudicia ſcribit doctiſſimus *Joannes Baptiſta Vulpini*; qui calibehata in primis pro horum emendatione, & alcalica omnia proponit, cæterorum remediorum efficaciora. Sed tandem

Ab uſque dictis clare patet, quod totus curationis cardo conſiſtit in tollendis obſtructionibus, depurandis fermentis, dulcificandis, & moderandis ſalibus; quapropter laudarem Pilulas tartareas, vel de Ammoniaco, *Quercetani*, ſeu antimelancholicas à *Fiſcherio* deſcriptas, cum aliquibus granis Salis Martis à doctiſſimo *Lemery* propoſiti, poſteà alcalicis abſorbentibus, & calibeatis uterer, cum decoctis factis ex ſalſaparilia, ligno corillo, ebeno, & ſantalis, & herbis cephalicis, &c. & ſperarem, Divina favente pietate, Dominum Ægrotantem juvamen non parvum eſſe percepturum, prout ex corde precor, dum prudentioribus *Poliatris* locum ſiſto, venerabundus, quia *cùm ſapientibus loquor, paucis indigeo verbis.*

Raptim, ſub cenſura ſcribebat Florentiæ quarto kalendas Julii, Anno ſalutis ab ortu Divini Solis 1732.

JOANNES PAULUS FERRARI
Parmenſis Patricius, Philoſophus, & Medicus, &c.

FLORENTIÆ, Typis Antonii Mariæ Albizzini. 1732.
Superioribus Permittentibus.

